

h. 113, 1.

I. N. S. T. A!

(X2044287) II. 44. 1

Ye
4420

ΑΠΟΣΧΕΔΙΑΣΜΑ HISTORICUM

CIZAE

Origines & incrementa usque ad
præsentem statum delineans,

quam

DEO ADIUVANTE

&

Amplissima Philosophica Facultate

in hac

ACADEMIA LIPSIENSI

benevole consentiente

A. d. XXI. Januar. A. O. R. MDCC LXXXIII.

Eruditorum publicæ submittit disquisitioni

PRÆSES

M. ANDREAS Friedel /

Scaudicio - Cizensis,

Horis antemeridianis sine, pomeridianis

Cum

RESPONDENTE

CHRISTIANO PAPEN, Freyenw. March,

S. S. Theol. Stud.

LIPSIÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI FLEISCHERI.



BIBLIOTHECA
POMNICAVIANA

36



ILLUSTRI

Atque

EPISCOPALI

CIZAE

PATRIAE

suæ

Jucundissimæ,

Levicula hæc

in

Summi amoris humillimæq;

submissionis ac observantia

indiciu

D. D. D.

PRÆSES.



O Dulcissima PATRIA!

Tilli quo minus obliviscar, innumera prohibent accepta à TE
beneficia. Non quidem immerito à mammillis nomen TIBI
esse dicitur. Quacunqve enim me ipsum considerem ratione,
viventem sive in Schola Tua Episcopali, sive in Academiis: Tuam o-
mnino in me confirmasti satis indolem mammillarem. Infantibus i-
psam unicum fere mammillarum beneficium servare potest vitam.
Et certe, nisi frui eodem mihi per hos annos licuerit, annon de salute
mea plane fuisset actum, ambigere non conabor. Infantes, vel semel
ab nutritio dimissi fonte, ex memoria ejus sibi nil nisi amaritiam fin-
guet, nisi pudorem, nisi fastidium incredibile. Sed in hoc ipso infan-
tis naturam non facio meam. Recordatus enim identidem jucun-
dissima Patria, beneficentissima Urbis mammillaris, non de faciei
conqueror rubore, non de animi tristitia, nec vehementi noxioque
tali de fastidio: sed excitat beneficiorum memoria vultus letissimam
serenitatem, pectoris ingens gaudium, maximam vitæ voluptatem. Imo
si mammillarum quidem infantes negligunt beneficia: ego nihilomi-
nus Patria mammillaris benignitate optaverim frui longius. Nec
vero ingratum esse unquam naturæ videamus, dare de mammillis uno
eodemque temporis spatio geminis tergeminisque infantibus. Cum
incertum non sit, quo plures sugere inde soleant, eo uberiores reddi à
natura DEOq; hosce fontes, eo feliciores etiam matres, quibus idem
contingit, semper estimari. Agas igitur, quæso, O benefica Patria, quæ

non mihi tantum sed aliis etiam germanis meis antebac largita es
de ubertate Tua, quæ jam quoque fratrum meorum alii hanc concedis
in Academia Jenensi benignissime, quæ eandem non minus expectari
simili modo vides ab alio in Tua Episcopali Schola fratre meo: agas,
quæso, nec infelicem TE omineris, quod mammillarum Tuarum in A-
cademico hoc stadio ulterius exoptem omnibus votis benigna nutri-
menta. Profecto animi gaudium, quod presentio, triste quid predi-
cere non videtur. Nequæ dubium hoc reddere mihi beneficium audeo. Et
certe, sicut à me committetur nunquam, ut ingrati filii notam inure-
re mihi deinceps CIZA mea possit: ita largissima DEI munera ac o-
mnigenam felicitatem Eidem apprecari semper, precibusque meis ar-
dentibus expetere, minime desino. Ceterum VALE, FLORE, ac VI-
GE, ò Dulcissima Patria, ò Ciza benefica, nec non, quæ hic sisto a-
moris humillimaquæ devotionis indicia, non tam ex levissimo pretio
quam animi potius ex candore ac pietate estima.

Jucundissimæ PATRIÆ suæ

Dab. è Museo Lipsiæ:

a. d. X. Kal. Febr.

cl. lxxxiix.

Humillimus ac devotissimus

Cultor

M. ANDR. Friedel.



פּרֶפֶט

PRÆFAMEN.



Non quidem, LECTOR BENEVOLE, consuetudinis est omnium, dicendi scribendivè indicare ab initio rationem: eo, quod in hominis situm esse plerumque videatur voluntate ac arbitrio, vel communi utilitati optima, vel suo aptissima ingenio quæ judicet ipse, deligere: hæc talia tamen jam meditati ab eo deflectendum mihi paululum esse more, autumo. Ipsum autem hoc, quod ex multis aliis elegerim argumentum, invitamento fuit haud exiguo, consilium & approbatio eorum, quos, submisit venerari, pietas jubet ac observantia. Neque convenientius esse nihil studiis meis dicam, nihil hominis officio dignius, honestius, jucundumque magis nihil, quam *PATRIÆ non oblivisci*. Ingenue omnino fateor, præter id, quod Reverendissimo ac Serenissimo MAURITIO GVILIELMO, Patriæ Patri Principi ac Domino meo Clementissimo gratum, humillime testari, habeam animum pro tot tantisque beneficiis in Schola pariter sua Cizensi Episcopali ac in Jenensi quoque Academia per aliquot annos benignissime mihi collatis, porroque (ubi felix & beatus fuero) in hæc Alma Lipsiensi obtinendis; etiam, ut in manus pensum tale sumerem, amore Patriæ non levi fuisse me adductum. Equidem ab instituto, quod scribere de rerum primis originibus, mutationibus,

A 3

aliis.

allisque, tum ob Scriptorum Veterum inopiam, tum ob recentiorum, si adsint, fidem sæpè dubiam, difficillimum omnino esse soleat, deterreri potuissem facile: admovi tamen eo intensius manum negotio. Et haberi quidem Chronicon Langii Citizense satis elegans & accuratum, non diffiteor: Quia tamen Spicilegii loco unum & alterum mihi videbam relictum, neque detinere me ab hac recensione historica illud potuit. Satis mihi erit, si inde cognoscendum dederò animum gratum, studium ac amorem in Patriam. Quemadmodum autem antiquioris non minus, ac novæ ætatis Scriptores ab Excellentissimis Viris, Dn. L. MENCKENIO, Dn. L. FELLERO & Dn. L. RECHENBERGIO, Professoribus Publ. in hâc Academia celeberr., Patronis meis cum observantiâ ac pietate maxime colendis, nec non à jucundissimo conterraneo Dn. G. SILBERNAGELIO, Fautore ac amico meo plur. honorando, ex Bibliothecis tum publica Academia, tum etiam ipsorum privatis, (quod singulare beneficium gratissima deprædico mente) in huncce usum benigniter fuere concessi: ita & iisdem bene atque cum cura excussis, quæ ad laborem hunc facientia reperi, dimisi nequaquam. Imprimis autem fuere sequentes: Pistorii Scriptores rerum Germ. cum Chron. Citizenfi Langii, Ditmari Chron. Mersburg., Brotufus, Garzo, Stella, Freherus, Cranzius, Adamus Bremensis, Albertus Stadenfis, Lehmanni Chron. Spirense, Matth. Casparus Eulenburgius, Chron. Abbatis Ursperg., Annales Lauterbergici cum Chron. Misnenfi, Engelhusius, Fabricii Saxonia, Chytræus, Spalatinus, Pecensteini Theatr. Saxonicum &c. Dum itaque Cizam quo ad origines & incrementa sistere in hâc dissertatiuncula laboro, absolvendum illud puto duobus capitibus: Ut scilicet in priori agatur de Urbis statu primo, id est, à pri-

prima inde Urbis origine usque ad Ottonis I. tempora: in posteriori, de ejusdem statu secundo, i. e. ab Ottonis I. usque ad hoc currens ævum. Tertium enim, nempe præsentem, quo minus addere queam, obstant multa: quæ recensere supersedeo. Sufficiat igitur ostendere ista duo. Quæ æqui bonique ut à te, benevole Lector, consulantur, est, quod obnixè contendo. Esto igitur

CAP. I.

De

CIZÆ STATU PRIMO.

MEMBR. I.

De

NOMINE ET SITU.

§. I.

Circa Nomen, si solliciti sumus, certi fere nihil reperitur, quotquot etiam evolvantur Scriptores.

§. 2. Et cum variè quidem Urbis vocabulum hoc legatur, nim. Ciza, Cice, Cyce, Cytze, Citzum, Citium, Cizium, Cyzium, Citiza, Ziza, Zitza, Germ. Zeiß: Nihilominus videbimus mox, unde appellationem hanc obtinuisse credatur locus noster.

§. 3. Legimus apud Sozom. lib. 4. c. 13. de Thraciæ quadam Urbe Cizya: Cizycenus etiam aliquis, Atheniensis Geometra in Gerh. Joh. Voff. lib. de Scient. Mathem. cap. 13. §. 4. legitur: Antiochus quoque Cyzicenus apud Just. est: nec non habetur Asiæ urbs Cyzicus in Mysia ad Propontidem sita: unde etiam marmor Cyzicenum, Thucyd. 1. 8.: item est Moscoviæ quadam urbs Zezan: ut & Zizania, herbæ inutile genus atque noxium.

§. 4.

§. 4. Quæ omnia vero nullam habent cum nostra
Ciza convenientiam. Nisi forsan de Cizya vel Cizyco di-
cendum sit, fundatorem barbarum, ex Asia oriundum re-
spexisse in appellando hoc loco, terræ seu originis suæ me-
moriæ. Quod tamen statuere, ridiculum omnino foret.

§. 5. Proponemus porro Autorum sententias & con-
jecturas alias, experturi, quænam præ altera magis facili-
usque videatur assumenda. Neque facilè ad rem nostram
faciet quicquam, si de *Cicis*, quorum Strabo lib. 17. Geogr.
mentionem injicit, cogitare velimus. Hinc enim *Cici* sunt
vel seminis genus, ex quo oleum exprimitur & in arvis seritur,
quo omnes fere indigenæ ad lucernam utuntur, pauperiores &
operarii ad unctionem: vel rubra contexta Ægyptiaca, quæ ex
stirpe quadam conficiuntur junceis vel palmaceis similia. Ut
igitur qui fundamenta Urbis nostræ posuit, ob frequen-
tem olei aut juncorum usum nomen tale imponens me-
moriæ constituisse videatur vitæ militaris fruticisque
in remotis terris oriundi. Ast vero & hæc sunt sine robore.

§. 6. Garzo in Historia sua dicit, apud Romanos Ve-
stam fuisse dictam *Zeza* sive *Zizam*: qui postea cum Ro-
mâ relicta in nostras has terras secesserint, regum & prin-
cipum suorum svasu in istius Vestæ, tanquam Deæ suæ ho-
norem urbem aliquam struere inceperint. Denuò autem
asserti hujus historicam desideramus fidem. Cum nulla,
prout quidem constat, restetur historia, vel pedem quidem
Romanos his in regionibus tum temporis fixisse. Quid er-
go dicendum de Imperio?

§. 7. Ipse tamen Garzo modo allatam sententiam
ceui planè firmam assumere videtur. Quod inde apparet,
quod (verbis quidem mutatis, scopo autem manente eo-
dem) cum aliis historicis, Brotuffo, Wolffg. Crusio & Ur-
spergenli porro dicat, *Cizam* nostram ab Arminio quo-
dam

dam duce militari, *Citone*, qui *Quintilium Varum*, Augusti *Cæsaris* tempore, vincere iuvisset, accepisse nomen. Uti *Torgavia* quoque à *Turgeberto*, *Illeburgium* ab *Ilba*, *Cygnæa* à *Cygro*, ejus ævi ducibus bellicis originem ac appellationem haberent. Atque hanc nec non vicinam terram fuisse militibus in navatæ militiæ præmium datam, ut vel plane nova exstruerent loca, vel jamjam exstructa magis magisque exornarent.

§. 8. Et exinde, quanta sit *Cizæ* nostræ ætas, constat facile: siue initia urbis omnino prima in hoc ponamus tempore, siue structuram ampliorem vel paululum ornatiorem.

§. 9. A *Citone* igitur isto appellationem urbis deducunt. Adde autem momentum aliud. Tradunt Historici, in his agris cultam fuisse Deam, *Cererem* (quæ ab ethnicis dicatur *Zitza* i. e. *mammosa*, quasi omnium rerum alitrix) ab illius temporis populo. Adeoque in Deæ illius honorem fuisse ita dictam urbem.

§. 10. Denuo alii deducere non dubitant ab Ebræo זִיץ *Zitz*, quod florem denotat, quod *Ciza* quasi floreat ubertate soli ac permagna felicitate. Sed longe petitum hoc, quis non affirmabit?

§. 11. Istam autem sententiam eo magis verisimilem esse, inde judicant Scriptores, quia monumentum illud *Cereris* *Caroli M.* tempore fuerit repertum & abs eodem destructum. Nec sic tamen hoc ipsum omni caret dubio. Cum *Ditmarus Mersburgensis* asserere non vereatur, *Imp. Henricum Aucupem* curasse primum, ut *Cereris delubrum* fuerit dirutum ac deletum: nomen tamen (*Zitza*) urbi relictum, & tandem *Episcopatu* eò delato *S. Mariæ* statuam loco ejus fuisse erectam.

§. 12. Quæ omnia, quocunque demum se habeant

B

mo-

modo: Certissimum tamen hoc relinquitur, adeo placuisse omnibus opinionem de Cerere, quam mammillarum instar ubertate præditam dicunt maximam; Ut Episcopi tandem Cizenses honoris titulum inde acceperint. Vocati enim fuere Mammillenses seu Mammillares. Testante Ditmaro & B. D. Förstero (olim Superint. Ciz. & postea S. S. Theol. PP. in Acad. Witteb.) in Præfat. quadam suarum Commentat. ad Psalm. Cujus & nuper Excell. Dn. L. Felleri Nostri carmen Epithalamium in Avenario-Ludovicianas nuptias conscriptum exposuit.

§. 13. Intelligimus itaque ex his allatis, unde Cizæ appellatio ortum trahere videatur. Neque dicere erit necesse, urbem nostram à Cerere (Zitza) magis, quam à Citone suam habere originem: eo quod istiusmodi appellandi ratio ex pluribus aliis urbibus, à solo nominatis conditore, constat. Sicuti Jenam multi non nisi à Jano descendere dicunt. Sed vero inconueniens haudquaquam existimo, si dicatur, ad duplex in denominatione hæc respici fundamentum: & ad conditorem, Citonem (nisi aliunde reddamur dubii) & ad Deam istam ethnicam, Cererem seu Citzam.

§. 14. Sita autem Ciza est in Misnensi Marchionatu. Quæ Misnia non à Musis, hic quidem omnino florentibus, tanquam in monte Heliconis; Sed vel à fluuio vicino Misfa, vel, quod incredibile ex mente quorundam, videtur neutiquam, à Mysia minoris Asiæ ad Propontidem conspicienda regione accepit. Terminos ut videamus quoque, hi sunt: ab ortu habet Lusatos, ab Occidente Thuringos, à meridie Variscos & Bohemos, à Septentrione Saxones. Ipsa vero Ciza in dicta quidem reperitur Misnia, ut tamen Thuringiæ fere accedat terminos. Ab occasu præterfluentem habet Elystrum. Ab ortu in vicino monte Bosaugiam, coenobium. §. 15.

§. 15. A Geographis & Historicis, antiquiorem terræ faciem sistentibus, hi fere traduntur termini: ut scilicet respectu Thuringici tractus Cizam Osterlandicis & Libonothicis unice annumerandam dicant urbibus. Imo affirmat Erasmus stella, temporibus Strabonis inter Hermunduros, Svevos, aut circa Martisburgum (quo nomine olim Misnia in genere vocarunt) omnino fuisse repertam. Pergimus vero ad

MEMBR. II.

De

URBIS FUNDATIONE, INCOLIS ET PRIMIS INCREMENTIS.

§. 1.

Circa hæc tria, uti ferè ex præcedentibus manifestum est, non apparet facile, quid sentiendum sit. Incerti propemodum sumus, quocumque vertamus oculos. Et hoc inde, quod vetustis autoribus certisque documentis destituamur plane. Quod sine dubio ipse Cizensis Chronographus Langius prævidit, eumque eo permovit, ut in Chronico suo nihil de his talibus posteritati reliquerit. Neque conjectationibus tanti roboris supponere possumus fundamentum, ut earum ruina tam facile non sit metuenda. Experiemur tamen, quo usque pervenire hic liceat.

§. 2. Eorum autem nullam dicimus sententiam, qui fundationem urbis hujus vel Carolum M. vel Henricum Aucupem volunt. Cum de fundamentis jam simus solliciti, non de ornamentis. Postea enim dicemus, omnino contulisse satis multa utrumque Imperatorem ad Cizæ ornatum.

§. 3. Sed quid differo? mox addam. De Henrico Aucupe Brotuffus aliique affirmant recentissimi Scriptores,

res, Cizam cum vicinis urbibus, Cygnéa, Martisburgo, Borna &c. A. C. 924. muris ornatam & munitam ab eodem esse. Imo dicit ipse, à Carolo M. ejusque filiis ibi templum cum cœnobio Canoniorum Regularium erectum esse. Ut adeo ante horum tempora primum Cizæ fundamentum omnino quærendum sit.

§. 4. Stella in Commentario suo de origine Mysorum itemque Brotuffus in Chron. Martisb. scribit, Vandalorum tempore Cizam *urbis nomen* consecutam esse: Hunc enim in finem fuisse eosdem in has oras missos, ut urbes conderent, initia constituerent, conditas ampliores magisque ornatas redderent.

§. 5. Cum igitur adhuc in prima Urbis fundamenta inquirendum sit; eam quidem supraque jam indicatam habemus reliquam opinionem. Nimirum de Citone, Arminii duce militari, cui prima Cizæ nostræ adscribunt initia. Quia vero nullum certius ac firmitus animadvertimus in sententia hac documentum historicum, vel suo relinqvemus eam loco.

§. 6. Esto autem, recte se habere opinionem, esset Cizæ origo non multo post Christum natum ponenda. Cum *Cito* ille Arminii circa ann. Christi 21. mortuus credatur, ex calculo Chronologorum. conf. Tacit. Cluver. itemque CL. DN. CELLARII, Rect. Sch. Ciz. meritiss. nuperime editam Geogr. Antiquam.

§. 7. Quod si vero juxta Membr. I. §. 12. fundator conjiciendus esset, dicimus, Cizæ primam originem attribuendam aut Myfis Asiæ populis aut Hermunduris, qui tum temporis & ante Mysorum in Europam adventum, Misnicam terram, uti jam vocatur, inhabitaverunt. Si posterius, convenit cum Stellæ ex Strabone adducta, (cujus mox citat. §. 12. mentionem fecimus,) sententia; & eo
mi-

minus, quia Historicorum monumentis nihil consignatum est, initia Cizæ videre certo exinde possumus: si prius, denuo videndum tempus, quo Mysi in hasce terras fuere ingressi. Istud autem juxta Chronologos circa Antonini Philos. imperium incidisse putatur. Ita enim colligunt, ut ad tempus deveniant: Misnicam terram, quidem ab Hermunduris fuisse inhabitatam; ab iis autem, quod Misnensibus, seu Mysi, se ad resistendum fortasse crediderint impares, has oras esse relictas. Porro: hos cum vicinis suis Nariscis, qui Voitlandiam tenuerint; Bojis, in Bohemia qui confederint, (sicut regio hæc ab iis nomen retinuerit) & fortasse à Vandalis, qui lingua sua Czechi, à Germanis autem nomine veterum incolarum Bohemi vocentur, expulsi sint, se associasse, & cum illis in Bavariam commigrasse: Ex Capitolino autem, Eutropio aliisque constare, utrosque Hermunduros & Nariscos in magna illa Quadorum & Marcomannorum expeditione contra Imp. Anton. Philos. interfuisse. Indeque judicant, tunc cœpisse ipsorum discessum: Mysos è contrario relictam terram circa ann. Chr. 166. occupasse. Quin recense-rem hæc, non dubitavi. An autem fides aliqua ejusmodi demonstrationi sit habenda, dubitari potest maximè; Et imprimis, si concludere quis conetur, ad tam speciales stru-cturas urbium.

§. 8. Quia igitur foundationis tempus ipsumque Cizæ fundatorem primum certo exscrutari non licet: Nihilominus incolæ & Resp. essent adhuc consideranda.

§. 9. Et quidem, si de peregrinis porro loquendum populis, nunc de multiplicis nominis Asiatica gente, it. an Getæ, Gothi, Vandali, Slavi, Sarmatæ, Mysi &c. ab invicem differant nec ne, ut & de ipsa eorundem migratione, esset aliquid hic monendum. Verum enim vero ne à sco-

B 3

po meo, Cizam traditurus, longius aberrem; unicum ad-
duco. Exc. Dn. Schurzfleischium P.P. Witt. Celeberr. qui
in Differt. de Slavis, breviter quidem, sed nervose, accu-
rateq; fere singula ostendit, simulq; plurimos Scriptores,
Aventinum, Cranzium, Helmoldum, Conringium, Clu-
verium, Reineccium, Bangertum, Chytraum, Fabricium
& alios eorumq; sententias bene contulit.

§. 10. Quamvis itaq; apud Historiographos, Dit-
marum, Brotuffum, Stellam &c. legatur, Thaleminciam
sive Lummaciam (ita enim vocabatur Misais vel à Germa-
nis l. à Vandalis s. Slavis) à Vandalis esse bello petitam,
occupatam & satis longo tempore habitatam: tempus ve-
ro, ex quo Myfi à Vandalis fuerint exturbati, maxime esse
incertum, istudq; indicatu difficillimum; Sufficere tamen
nobis, si aliquid tribuendum sit sententiæ, posset, quod ex
Prudentii verbis, (qui ad Symmachum scribens, dum Sa-
xonum facit mentionem, gentes Gothorum socias pluri-
mas, diversasqve & quam maxime feras conjunxit, *)
videatur constare, circa annum Chr. 395. sub Honorio
jam tum in Germaniam ingressos fuisse Asiaticos popu-
los, cum Saxonibus mistos, ulteriusqve migrationibus su-
is ad nostras sine dubio pervenisse terras, à Saxonibus
etiam deniqve inde ejectos. Ut adeò eorum senten-
tia facile sit rejicienda, asserentium, Vandalos, unà cum
aliis Slavis (hoc enim nomen Vandalicis, Sarmaticis
cæterisq; Asiaticis populis, generaliter tribuunt vulgo)
circa tempora Heraclii, A. C. 600. in Germaniam Roma-
nasq; Provincias primum devenisse.

* - - *Daca, Sarmata, Vandalus, Hunnus,*

Getulus, Garamas, Alemannus, Saxo, Galaulus.

§. 11. De Reip. denique forma populorum qui has
nostras regiones tum temporis inhabitasse creduntur, di-
cere multa supersedeo. Mitto autem benevolum Lect.

ad

ad Exc. Dn. D. SAGITTARI PP. Jen. celeberr., Patroni mei
studiorumq; meorum promotoris maximè devenerandi
Historiam Thuringiæ, nec non ad Chronicon Zvviccavi-
ense bene accuratum, ubi de incolis talibus pariter atqve
de eorundem Republica, quidqve de ejusmodi opiniononi-
bus sit sentiendum, nonnulla occurrunt. conf. Adamum
Bremensem, Spalatinum &c.

§. 12. Atq; sic primas Cizæ, quoad ejus fieri potuit,
delibavimus origines. Aggredimur igitur alia, quæ confi-
deranda fuere suscepta.

CAP. II.

De

CIZÆ STATU SECUNDO;

i. e. de Episcopatus origine, incrementis,
aliisque memorabilibus.

MEMBR. I.

De

Episcopatus fundatione &
confirmatione.

§. I.

Sicut tres Imperatores Romanos ob res gestas & magna in
Ecclesiam DEI merita MAGNOS in Historia dictos legi-
mus: ita de tertio, nempe Ottone Magno, aliisque Witte-
kindi, Magni Saxonis, reperimus quoque posteris, non tam
quod magno exornati fuerint hoc nomine, quam potius
quod ex præclaris maximisque factis immortalem sibi pa-
raverint memoriam.

§. 2. Hi enim sunt, qui non solum in Saxonia, sed &
tota Germania atqve imperio religionem Christianam
adver-

adversus barbarorum & infidelium irruptiones. defende-
runt: vicinorumque Henetorum gentem idololatricam,
vel tandem etiam ad Christi jugum adduxerunt. Et qui-
dem Ecclesiam & regnum DEI augere quod maxime stu-
duerint, testantur tot Episcopatus magno sumtu magna-
que liberalitate hinc inde conditi.

§. 3. Quærentes igitur nunc de Cizensis etiam Epi-
scopatus autore, videmus, testantibus omnibus documen-
tis historicis, non alium certe quam Ottonem I. Imp. re &
nomine MAGNUM. Ut adeo Imperatores omnino tres,
Ecclesiæ Christi potentes & perpetuos amicos habueri-
mus: Constantinum M. ex Romanis, Carolum M. ex Fran-
cis, Ottonem M. ex Saxonibus. Quos etiam Pontifex
Romanus, Johannes, & in sermonibus & in litteris Augu-
storum Augustissimos Cæsares nominavit. Uti testatur
Fabricius ex Antistitum Magdeburg. Annalibus.

§. 4. Ex ipsa vero piissimi hujus Ottonis Imp. in
Magdeburgico conventu habita Oratiuncula maximus a-
mor summumque Ecclesiam DEI promovendi studium
patere potest. Hanc autem affert Fabricius in Orig. Sax.
lib. 2. circa ann. 973. (NB. verum foundationis tempus est
ann. 968. uti ipse in Annalibus Misniæ scribit) ubi non
tantum Magdeburgensis, sed & Cizensis, Martisburgensis,
Misnensis &c. Ecclesiæ Episcopi dicuntur constituti. Ita
autem humanissime omnes ordines festo Nativ. Christi
allocutus est Imperator: *Quod votis diu expetivi, hoc nunc
die consequor, ut videam Ecclesiam DEI iis in locis nasci, in
quibus antea nomen ejus ignotum fuit: Et in quibus pro DEO
Et Christo, ejus idola Et monstra adorabantur; Et populus
ferus nullam noverat pietatem veram, nulliq; cultui vitæ ho-
nestæ assuetus erat. Agnosco evidentia illa DEI beneficia, qui
me inter tot insidias familiarium, inter gentium tam diver-
sarum*

yarum tela conservavit ad hanc usq; lucem, quia vobiscum publice pro tot meritis gratias debitas agerem. Memisistis in me intentas fuisse sicas meorum domesticorum: vidistis in bellis, in praeliis, in oppugnationibus contra Bohemos, Slavos, Ungaros, Italos, Gracos, Mauros, mea pericula plurima: doluistis mecum, saepe me ab iis desertum, quos alueram, auxeram, conservaram. Salvus tamen nunc vobis, & bona etate loquor, & DEO, qui manus meas docuit praeliari, quiq; excussit jacula in me directa, gratias immortales agendas hoc die censeo. Piorum consiliorum auctorem Hillivardum, qui primum me jubente Russos docuit: qui infulam & pedum Ecclesie Halberstadianae nuper merito suo accepit: qui nunc auctoritate apostolica Metropolitanus Saxoniae constitutus est: Hillivardum, inquam, novae hujus Ecclesiae antistitem dignissimum vobis commendo, ut omni eum favore & veneratione prosequamini: & hos populos domitos pro vestro erga nos amore & studio in officio retineatis, & pro se quisq; ut religio servetur & amplificetur invigiletis: quia diligentia nihil vobis dignius, nihil DEO aeterno acceptius.

§. 5. Haec ejus oratio, inquit Fabr., omnium animos permovit & excepta ingenti admiratione est. Guido Bibliothecarius & Benedictus Cardinalis, qui à Pontifice illuc missi erant, ritu solenni novum antistitem consecrant: & ornatum infulam ac trabeam sellae imponunt: deinceps Boso Mersburgius, Burchardus Misnensis, & Hugo CITIENSIS praesente Imperatore ejusq; filio inaugurantur.

§. 6. Ex his adductis constat, non alium Cizensis Episcopatus fundatorem agnoscendum, nisi Ottonem Magnum: Quibus adjungi potest consensus Chronici Langiani omniumque genuinorum Scriptorum, Cranzii, Albini, Stellae, Lehmanni &c. quae in praesenti nobis omnino sufficiunt. Neq; alia, quae circa hanc rem quari possunt, nobis obstare credimus.

§. 7. Imo Monumentum illud Cizæ ante supraque
superiorem portam Ecclesiæ cathedralis B.B. Petri & Pau-
li (quam Aulicam jam vocamus) ejusq; in latere, quod au-
lam vel arcem petituri transeunt, conspiciendum, funda-
tionis originem ac autorem bene confirmat. Et quidem
si adspiciat quis templum, reperiet ad sinistram. Ita ve-
ro legitur: *Ottoni Magno, Romanorum Imperatori Pio, Feli-
ci, Augusto, ob singulare beneficium, quo Germaniam nostram,
translato in eum orbis terræ imperio ornavit, & ob benignita-
tem insignem, qua Ecclesias DEI complexus est, hancq; donatis
ei multis emolumentis, Præpositus, Decanus, Collegiumq; Cano-
nicorum Cizensium Principi optime merito*

H. M. P. C. F. C.

Item verba alia in eodem pariete legimus ad dextram:
*Anno Nongentesimo LXXIII. V. Id. Maji obiit Otto Magnus
Imperator, Fundator Ecclesiæ Cizensis.*

§. 8. De confirmatione nihil adderem, nisi consta-
ret duce Dedone Cizam à Bohemis fuisse occupatam &
ejecto Episcopo omnibus privilegiis spoliatam. Afferam
autem si non genuina & propria, similia tamen documen-
ta. Dubium enim non amplius est, Martisburgensem,
Misnensem, nostrumq; Cizensem Episcopum primum
uno tempore, imò die uno eodemq; per Hillevardum seu
Adelbertum Magdeb. Metropolitanum fuisse consecra-
tos, adeoq; privilegiorum concessionem seu confirmatio-
nem per literas factam fere in omnibus (si capita propria
seu individualia, ut sic loqui liceat, exceperimus) con-
venire.

§. 9. Ex Misnensis igitur Episcopi litteris fundatio-
nis publicis, quales nostræ fuerint, licet dicto modo ere-
ptæ nobis sint, judicare quivis poterit facile. Unicum
modo tanquam proprium ipsi, præter cetera, quæ facile
patent,

patent, notandum nobis erit, Ecclesiam Misnensem ingenuam seu liberam fuisse dictam, quia nulli Metropolitano, sed uni Romano Pontifici subiecta esse debuerit.

§. 10. Est ergo exemplum Pontificiæ confirmationis Johannis scil. XIII. à Fabr. in Ann. Misn. adductæ hoc: *Johannes Episcopus, servus servorum DEI. Si semper sunt concedenda, quæ piis desideriis congruunt: quanto potissimum ea, quæ divini cultus prærogativa noscuntur, non sunt omnino abneganda: quæ sunt à largitoribus non solum postcenda, sed vi charitatis procul dubio exigenda. Habita igitur Synodo & multorum venerabilium fratrum Cœpiscoporumque nostrorum conventu Romæ in Ecclesia B. Petri, Principis Apostolorum assidentibus Augustissimis Imperatoribus Ottonibus utrisque anno scil. Imperii majoris sexto, minoris primo, iidem gloriosissimi Imperatores postularunt à nobis, quatenus monasterium, quod remedio animarum suarum primitus construi & in honorem B. Johannis Evangelistæ consecrari fecerunt super ripam fluminis, cui nomen est Albea, in Civitate Misna sita, videlicet in Provincia, quæ dicitur Dalemincia, cui etiam monasterio virum venerabilem nomine Burchardum, honorificè præfecerunt, privilegii sedis Apostolicæ decorati: ut sub juris dictione Sanctæ Ecclesiæ nostræ, cui auctoritate DEI præsidemus, constitutus, nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submitatur. Pro quâ re piis desideriis faventes hæc nostra auctoritate, id quod exposcitur effectui mancipamus: Interponentes tamen ea, quæ & ipsi Principes in nostris privilegiis cupiunt exponi. Hi duo Imperatores Pater & Filius nobis assidentes, Misnensi Episcopati terminum imposuerunt, nominando etiam determinationes locorum, sicut infra continetur &c. &c. Homines vero, quemadmodum hi præsentis Imperatores statuisse fatentur, qui infra terminum illum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum & pecudum, in argento & vestimento: nec non quod*

Teutonici dicunt, Overcapunga & talunga familiarum: insuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur, in diversis modis decimationes, quas DEO cuncta gubernanti debent ad Misnensem Ecclesiam primum DEO, deinde S. Johanni Evangelista universa dubietate procul remota, persolvant, referant, reddant. Et ideo in Christo sanximus, quod nullus Metropolitanus, nullus Episcopus prater sedis Apostol. Antistitem infra terminos Misn. Ecclesia quovquam ordinare & c. presumat.

§. II. Ipso anno 968. publicata est templi Misnensis fundatio ab ipso Imp. Ejus exemplum hoc est:

In nomine Sanctæ & individua Trinitatis, Otto divina favente Clementia Imperator Augustus. Noverint omnes fideles nostri, presentes scil. & futuri, qualiter nos interveniu dilectissimi Filii nostri Imperatoris Augusti, simul & Adelheida, carissimæ Conjugis nostræ, nec non pro memoria ac remedio anime Patris nostri Henrici, more antiquorum Imperatorum, & Regum, nostra regali potestate Misnensi Episcopatu terminum posuimus: nominando fines & determinationes locorum, sicut nominati sunt supra in literis Job. XIII. Pontificis. Omnes, qui infra terminum istum habitant, in omni felicitate terræ, frugum, & pecudum, in argento, vestimento, nec non quod Teutonici overcapunga dicunt, & talunga familiarum: insuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur diversis modis, decimationes, quas DEO cuncta gubernanti debent, ad Misnensem Ecclesiam, primò DEO deinde S. Job. Evangelista, beatoq; Donato, Matri DEI, universa dubietate procul remota, persolvant, referant & reddant. Et si quis hoc præceptum, in munerationem DEI constitutum, disvertere & disrumpere, tentaverit, odium DEI, sanctorumq; omnium incessanter habeat. Et ut hæc nostræ regie potestatis donatio & constitutio nunc & in futuro firma & incondulsa
per-

permanendo consistat, hoc praeceptum inde conscriptum, sigilli nostri impressione signare iussimus, manuq; propria ut infra tenetur corroboravimus. Ruobertus Cancellarius ad vicem vacationis Archipellani recognovi. Data XIV. Cal. Novembr. Anno Dominice incarnationis DCCCCLXIX. Rome in Ecclesia Sancti Petri, Indiob. XI. feliciter Anno II. Ottonis Magni Imper. Augusti, regni XXXII. Imperii VI. Eandem fundationem confirmat Osbo III. Regni sui Anno XIII. nati Christi DCCCCXC. quæ literæ scriptæ Francofurti. Eandem publicat Henricus Marchio Misnensium, & primus Landgravius Thuringorum MCCLII. XI. Cal. Jun. in urbe Misna.

§. 12. Pauca hæc, quæ adduxi, licet aliqua istius ævi contineant simul erronea momenta, monere nihilominus satis possunt de Episcopatus origine atq; confirmatione. Plura ob temporis angustiam addere non licet.

§. 13. Proximum nunc esset ipsos pertractare Cizenses Episcopos quoad res gestas aliq; notatu digna. Sed hæc omnia quia tum à Langio in Chron. Citiz. tum à sæpe laudato Dn. D. Sagittario in peculiari Dissert. de Episcopis Numburgens. ex ipso Langio aliisque bene multis Historicis accuratissime deducta sunt; ferias mihi circa negotium hoc indictas video. Ordinem nihilominus Cizensium Episcoporum hic si subjiciam, inconveniens fortasse non erit. Sunt itaq;

EPISCOPI CIZENSES

- | | | |
|-----------------|--------------------|---------------------|
| 1. Hugo I. | 8. Guntherus. | 15. Uto II. |
| 2. Fridericus. | 9. Walramus. | 16. Bartholdus II. |
| 3. Hugo II. | 10. Theodoricus I. | 17. Engelbardus. |
| 4. Hildebardus. | 11. Richwinus. | 18. Theodoricus II. |
| 5. Cadulus. | 12. Uto I. | 19. Meinherus. |
| 6. Burchardus. | 13. Wichmannus. | 20. Ludolphus. |
| 7. Eppo. | 14. Bartholdus I. | 21. Bruno. |

- | | | |
|-----------------|------------------|----------------------|
| 22. Ulricus. | 28. Witticho II. | 34. Georgius. |
| 23. Henricus. | 29. Christianus. | 35. Theodoricus III. |
| 24. Witticho I. | 30. Ulricus II. | 36. Henr. Stammer. |
| 25. Johannes. | 31. Gerhardus. | 37. Theodoricus IV. |
| 26. Rudolph. | 32. Job. II. | 38. Job. III. |
| 27. Godobardus. | 33. Petrus. | 39. Philippus. |
| | | 40. J. Pflugius. |

Postulati Episcopatus Administratores.

- | | |
|-------------------|--------------------------|
| 1. Alexander. | 5. Job. Georgius I. |
| 2. Augustus. | 6. Mauritius. |
| 3. Christianus I. | 7. MAURITIUS GVILIELMUS. |
| 4. Augustus. | |

§. 14. Expedienda vero etiam ea tandem nobis sunt, quæ de ceteris & Urbis & Episcopatus Cizensis incrementis memorabilibusque aliis ex Autorum pariter atque MSectorum arcanis tradi possunt, quæque scire, non injucundum videtur. De his itaque agit

MEMBRUM II.

ARTICULUS I.

De

Episcopatus Ciz. incrementis
& mutationibus.

§. 1.

QVamvis multa quidem circa hoc negotium simul essent excutienda: nim. quæstio, cur hodie Dignitas Episcopalis Politicis tribuatur, quæ tamen olim non nisi sacri ordinis hominibus seu Theologis atque Canonis Bibli-ci Doctoribus collata fuit: it. quomodo & quando piissimum hoc institutum optimorum Principum, Ecclesias fundare, iisdem largissimas opes concedere &c. in pessimum

mumabierit abufum: it. num pastor, provifor, epifcopus, custos unum idemque dicant, it. num Ciza ob fedem Epifcopalem per aliquod tempus Numburgum translata vilior & non adeo digna judicanda fit atque Numburgum, & quæ funt alia; ab iis tamen, quæ adhuc superant inter neceffario dicenda, in præfenti certe prohibeor.

§. 2. De incrementis Epifcopatus Ciz. locuturus præmoneo hoc unicum, Numburgicam urbem cum fuo tractu in præfenti tractatione excludendam. Quamvis alias, omnino ad Epifcopatum Cizensem pertinere illam, non fit ignotum.

§. 3. Sequentia autem, quæ adduco ex Ditmaro, non omnino omittenda judico. Quorum aliqua Pontificias quidem fapiunt fabulas. Scribit enim ille de Ciza noftra: hunc in locum olim peregrinationes, uti ad alia loca, fufceptas fuiffe, eo quod S. Maria miracula oftenderit haud exigua; & ob hominum tantum confluum incrementa magna urbi fuiffe fuborta. Addit Peccenfteinius, iftius peregrinationis mentionem quoque fieri à Sartorio & Monacho Pirnenfi, nec minus celebrem concursum in hac Urbe vifam fuiffe, quam Aquisgrani. Pergit: Tempore præfulatus ab Imp. Ottone eò delati facellum ad Ecclefiam fuperiorem pertinens dejiciendum ac amplificandum ab eodem juffum effe, magnumque numerum ejusmodi rerum, quæ ægrotis aliisque conditionis miferis hominibus infervire foleant (e. g. Betten / Stüle / Armschienen / Krücken &c.) quæque ab iisdem, quod S. Mariæ cultum legitimum concefferint, ibi fuiffe relicta. Hos enim fanitati reftitutos ex eo loco decessiffe latiffimos: Illam vero ægrotorum depositam fuppellectilem multis curribus vix potuiffe amoveri.

§. 4. Tradit Langius, Ditmarus, Chytraus, dictum
Im-

Imperatorem hunc Præfulatum non exiguis ornasse mu-
neribus: ex suo ærario Præfulatui huic dicasse 20000; imo
agros multos, arces, pagos, nemusq; Breitenbacense adje-
cisse, sub hoc Diplomate: Otto Imperator tradidit Epi-
scopatu Cizensi, quicquid habuit circa Elystrum, & in ter-
ra Plisnensi, præter castrum Plisnæ, quod Imperio reman-
sit, omnem insuper jurisdictionem ad Muldam etiam in
civitate ipsa Cygnea, quæ per Patrem suum Henricum
cum aliis oppidis instaurata est.

§. 5. Minutissima singula, quæ circa mutationes atqve
incrementa Episcopatus occurrunt, hic non adjicio. Re-
censeo autem momenta graviora brevissime.

Año. 1029 Numburgi sedere Cizenses Episcopi sub Hildebrando
cœperunt. Paulo ante transmutationem hanc Frideri-
cus Episcopus Ciz. bona quædam ex Martisburgensi Eccle-
sia suscepit à Gisilero Archiepisc. Magd. in suam Cizensem
Parochia duarum Urbium Tribui & Tachus per Ditma-
rum Mersb. Episc. trium villarum cambio redempta est
ab Hildebardo.

1093. Cœnobium Pegaviense à Vipertio Lusatia Marchio-
ne & Groitio Comite fundatum est.

1114. Singularem visionem permotus condidit Didericus mona-
sterium Bosaugiense, qui antea in colle isto ligneam ex-

1115. struxerat ædiculam.

It. Basilicam struere cœpit, septimo post anno absolutam.

1127. §. 6. Sub Udone fundavit Smólnæ Cœnobium
sanctimonialium Bruno comes ac Dominus Plisnensis
cum Willa, uxore sua. Varias hoc cœnobium sustinuit
mutationes.

1132. Post Brunonis obitum Udo ab Ecclesia Smóln. in Cizen-
sem omnia ornamenta, privilegia, libros ac reliquias ab-
dicatis Monachis transtulit. Conf. Dn. D. Sagittarii Diss.
de

de Episc. Numb. Monasterium Virginum in S. Stephani honorem Cizæ extra urbem fuit conditum.

§. 7. Engelhardus multa accepit privilegia ab Henrico Marchione Misn. & Thuringiæ Landgr. sed concessis eidem vicissim feudis Haini, Ortranti, Strelæ, Dalæ, Grimmæ, Smölnæ &c. 1238.

Engelhardus in dioecesi sua monasteriorum sustulit abusus. Et hæc cura celebrationem divini cultus imprimis respiciebat. Literas ea de re conscripsit in monasterio Bosaugiensi. 1239.

Henricus Cizensis Episc. Ecclesiæ suæ addidit Parochiam Langendorffensem. Accessit etiam Cizensi Decanatu sub Wittig. II. pars foresti Breitenbacensis. 1316.

Senatus Cizensis emit ab Ulrico Episc. aream istam (quam prætorianam dixerunt) foro antiquo vicinam, in qua jam curia exstructa conspicitur. 1396.

§. 8. Monasterium Bosaugiense accessiones varias privilegiaq; varia à variis accepit fautoribus suis ac amicis. Scil. A. 1190. à Bertholdo: 1213. ab Engelhardo: 1258. à Diderico II. it. à Ludolpho: 1291. à Brunone: 1306. ab Ulrico: 1320. ab Henrico: 1349. à Johanne, 1353. à Rudolpho: 1432. à Joh. II. 1468. ab Henrico Stammer.

§. 9. Emit Ulricus Episc. pagos urbi vicinos Rasburgum & Heinichium. 1405.

Cizæ suæ Johannes III. exhibuit maxima beneficia, imò singularem magnificentiam, dum ædificia varia in arce Ciz. exstrui curavit, castrum Haynsburgicum munivit ac reparavit, Episcopales redditus mirum in modum adauxit, molendinum istud vico Stephaniano contiguum constituit. Insuper hæc Plisnensi districtui multa quoque accessisse legimus. Quæ tamen omitto. Sequitur

D

ARTIC.

ARTIC. II.

De

Urbis Episcopalis amplificatione,

atque exornatione, variis eventibus aliisque
memorabilibus.

§. I.

1427. **A**Rx Cizensis ponte, novis muris, fossatis munita est, tur-
ribus exornata sub Johanne II.

Curia Cizensis exstructio.

1506. Primus exstruendæ curiæ positus est lapis. Eiusdem an-
ni die Lunæ post Dom. Jubilate Senatus Missam solennem
de S. Anna pro uno grosso habendam curavit: primum
postea lapidem rursus a se ex sede sua injecerunt denuo,
superque illo 6. grossos oblationis loco deposuerunt.
Hæc fiebant omnia ad felicis structuram incoandam.
Successit autem porro hæc structura publica, anno 1530.
fere absoluta.

1524. Domus Scholastica in vico rubro sita ad disciplinam ac
doctrinam, ut à M. Jac. Thamiano sibi traderetur, curavit
Senatus Cizensis.

Eodem anno pons lapideus (Nubricke) Andrea Gun-
thero civi ac lapidicidæ Glauchensi traditur exstruendus.
Mercedem, mille & centum aureos: tertio autem post
anno, ubi opus excreverat, adhuc 350. superaddendos po-
stulavit.

§. 2. Pergimus tandem, aliis omissis, ad eventus
nonnullaq; memoratu non indigna.

992. Otto III. Imp. Rom. Cizam veniens splendidè & magni-
fice ab Hugone II. suscipitur.

1115. Addo ex Msc. quodam hæc: Petrus Albinus Nicemont. in
suo Viperto seu originibus Ranzovianis, Witteb. 1588. editis
memi-

meminit *basilica D. Jacobi* quæ Cizæ fuit, quamq; Vipertus II. illustris ille & bellicosus Comes Groitiensis, inimicos suos ardentius persequens excussit. Et scribit A. 1091. Vipertum tractum religione conscientia ipsum stimulante de sacris locis in bellis per ipsum læsis ac devastatis. Pro expiatione facti hujus à Papa ad Patriarcham Compostellanam missum & ab eo mandatum accepisse extruendi aliud templum D. Jacobo, cujus basilicam Cizæ excusserit, quod postea redux anno sequenti 1093. Pegavia condidit & extruxit. Addit Mscti hujus autor, ex quo hoc Albinum desumsi (puto autem Msctum hoc esse vel ipsum Langianum compendium, cujus mox fiet mentio, vel excerpta ex eodem esse): locum, ubi Cœnobium hoc D. Jacobi repertum Cizæ fuerit, sine dubio e regione templi Stephanini, versus Kalfeldam (quam dicunt) cujus sedem jam obtinerent agri, horti, vineæ. Simulq; testatur *ant. msc.* Anno 1599. murorum rudera effossa ibidem fuisse.

§. 3. Sub Episcopatu Hugonis metropolis Cizensis, duce Dedone, à Bohemis capta est. Hugo ipse expulsus in fugam, urbs misere dilacerata, *Chronica Cizensia & Historia de pristino Cizæ statu una cum litteris ac privilegiis ab Ottone Magno Imp. acceptis, perdita ac multorum seculorum posteritati ablata fuere.* Testante Msc., Præfationem Langiani Chron. German. continente. Ibi dem vero Langius cum Nic. Tilemanno t. t. Canonico Ciz. de ingenti hoc Cizensis Episcopatus infortunio maxime conqueritur: simulqve asserit, ob tale vel ullius Cizensis Chronici negatum beneficium, Historiam sibi desumendam fuisse ex documentis Magdeb. Halberstad. Hildesheim. Martisburg. aliisque historicis: nec non indicat, in honorem hujus urbis ac Præfulatus Chronicon suum Citiz. quater fuisse editum, bis latine, bis germanice.

Et ultimam editionem Germ. sub compendii forma dedi-
cavit Johanni Wellnechero, civi ac quaestori Cizensi anno
1536. quousque etiam i. e. ad tempora CAR. V. per annos
560. hoc suum compendium deduxit. Chronicon autem
ipsum, quod Pistorii voluminibus historicis annexum, ad
ann. 1515. se tantum extendere notum est.

1128. §. 4. Conditor monasterii Bosaugiensis inter me-
ditationes sacras ante altare perfoditur à Slavo domesti-
co, scelesto homine, qui à Diabolo postea semotus dicitur.

1130. Translatio sedis ex Ciza Numburgum versus per Inno-
centium Pontif. confirmata denuo est.

1208. Rursus eandem confirmavit Georgius 9. Pontif.

1247. Didericus II. Campanam permagnam Erfurti fusam
consecravit, quod tum temporis nullum habuerint suffra-
ganeum.

1385. Templum Nicol. incendio perditum, à Nicolao de
Langenbergk reficiendum jubetur.

1395. Ulricus Episc. Senatui Cizensi Capellam omnium san-
ctorum (ita enim vocavere illam) ad templum D. Mich.
cum omnibus requisitis tradidit.

1443. §. 5. Tempore Petri Episcopi Diocesis Ciza-Num-
burgensis cum vicinis terris misere afflicta est ab Hussitis:
imo ferro & igne vastata. Petrus Hussitarum crudelita-
tem metuens monasterium Sanctimonialium ad S. Steph.
extra moenia in colle situm destruxit, ac in ipsa urbe ad
templum S. Mich. constituit.

1449. Tympanum quoddam Michaëlitianum de turre proci-
dit.

1484. Amisissis nequitiâ & temeritate hominis cujusdam Mi-
chaëlitianis, quæ postea Lipsiam translata, nundinis, à Di-
derico Episcopo alias, die scil. S. Viti celebrandas obtinu-
it Senatus cum privilegiorum confirmatione.

Festo

Festo Pentecostes noctu hor. ii. inter & 12. incendium 1492.
ingens in vicinia templi S. Mich. exortum, singulari DEI
beneficio inter tantos aestus tantosque ventorum turbines
sine graviore damno extinctum fuit.

A. Johanne Episc. conceditur Senatui Ciz. Judæos ex ci- 1495.
vitate expellendi potestas.

§. 6. Festo 2. Pasch. hora 6. Vesp. duo neogami, vicum 1519.
mercatorium inhabitantes, cum ad mensam cibi sumendi
causa sederent, fulminis terrore tactive enecati. Qui & in
sepulchro conjuges permanere mox coeperunt conjunctis.

M. Rivius primus Scholæ Episc. Rector fuit. (simi. 1540.

Nic. Amstorius Julii loco per paucillum temporis tum 1542.
constitutus Episcopus Ciz., ipso die Agnes cum B. Luthero
aliisque Cizam venit. Concionem ille mane, postero die
in templo aulico, de leproso & servo centurionis: hic in
templo (quod à Francisco nomen accepit) eodem à meri-
die ingenti cum applausu habuit.

Die 18. Decembr. Simon Seiffart, rusticus Koettichensis 1549.
quod cerevisiam nuptiis destinatam veneno perdidisset,
pabulum Vulcani factus est.

§. 7. Post J. Pflugii obitum delata est Episcopatus ad- 1565.
ministratio Alexandro Augusti Electoris filio.

D. Jac. Andreae & D. Selneccerus Cizæ solemniter con- 1576.
stituunt Superintendentem Episcopatus, D. Johannem A-
venarium.

Nundinas ad diem Martini celebrandas Senatus ob- 1593.
tinet.

Ordinatio pastorum Dioceseos Episcopalis Cizæ in- 1595.
staurata est. Ordinatus primus fuit pastor Breitingensis.

Synodi & Fisci pastoralis constitutio initia cepit. 1604.

M. Erh. Lauterbach. Superint. & M. Joh. Försterus Dia- 1606.
conus ad D. Mich. summos in Theol. honores Lipsiæ su-
sceperunt.

1608. D. Försterus Superint. Ciz. ab Elect. Sax. ad Theologicam
Professionem in Acad. Witteb. vocatus est.

§. 8. Sed hic filum abrumpere teneor in levi hac re-
censione. Nec progredi hac occasione licet ad Cizensi-
um majoris momenti Admiranda. Dicendum enim ad-
huc fuisset de Mauritioburgo ejusque ornamentis, de
Templi aulici, altaris, suggestus sacri &c. splendoribus &c.
De Bibliotheca *Mauritiana*, itemque de *Gvilielmo - Mauri-
tiana*, de Ducali Paradiso ejusque deliciis, præcipue etiam
de *Aloës* celebratissimo flore: dicendum adhuc fuisset de
felicitate summa Cizensium, ob Principem ac Episco-
pum suum, Optimum Patriæ Patrem, tantæ eruditionis
gloriam, tantarumque virtutum lumen ac decus; ob Aulae
sacrique Consistorii Proceres, Consiliarios, Principis or-
namenta; ob magistratum civitatis pium justumque; ob
ministerium Ecclesiasticum tam spectabile, sacrorumque
Oratorum tantam excellentiam; ob Scholæ Episcopalis
tam ingens emolumentum. Imo dicendum adhuc fuisset
de monumentis antiquis, templorum, Scholæ aliarumque
rerum. Et in primis ea post instauratam Evangelicam
doctrinam temporis periodus curatius fuisset pertractan-
da. Sed sistere hic ob sumtum difficultatem aliaque im-
pedimenta cogor. Dabit benignissimum Numen tempus
magis commodum, impensasque necessarias de hisce
talibus verba in posterum ex merito fa-
ciendi. Jam vero

DEO LAUS atque GLORIA!

APPEN-

APPENDIX MISCELL.

1. Principia Apodictica sunt Definitiones, Hypotheses, Postulata.
2. Qui sciunt per Syllogismum, magis sciunt, quam qui per inductionem & experientiam.
3. Omnis doctrina, omnisque Demonstratio fit vel per Inductionem vel per Syllogismum.
4. Quæstio, Problema, Conclusio, Theorema, Porisma s. Corollarium differunt.
5. Non datur Prædicatio negativa.
6. Hæc Propositio: Canis est animal, habet Suppositionem personalem.
7. An ex Minore l. formaliter l. virtualiter negativa in l. Fig. necessario semper sequatur falsa Conclusio? Dubitari potest.
8. Propositio universalis & universaliter vera differunt omnino ab invicem.
9. Ἰδεὶς ἀγεωμέτρῃ & εἰσήτω: Platonicum hoc monitum an omnibus sapientiæ studiosis videatur acclamatum? A.
10. Sensus rectè constituti, fallaces dici non possunt.
11. Non omnis conversatio cum infidelibus & heterodoxis prohibita est fidei.
12. Adeoque Electori Saxoniae, quod Carolo V. Imp. Anno 1530. Missam Pontificiam audituro gladium prætulit, non facile erit improbandum.
13. Ebric-

UX
Ye
4420

13. Ebrietas homini noxia est.
14. Partes Philosophiæ non incommodè distingvuntur vel in Scientias Theoreticas, Pract. & Eff.; vel Theor. & Pract. tantum.
15. Mathesis tam ad Propædevticam, quam ad ipsam Pædevticam Philosophiæ partem pertinet.
16. Historia duos habet oculos: Geogr. & Chronologiam.
17. Rhetorica non pertinet ad Philosophiam.

Ad Per - Eximii

DN. RESPONDENTIS,

Amici & Contubernalis integerrimi,

Reverendum DN. PARENTEM

de utriusq; filii lato successu,

GRATULATIO.

Sit Tibi curarum, *Sacris VIR dedit*, multum,
Filius at præsens dulce levamen erit.

Theiosopho ecce domi frueris; sed Pansophus hicce
Audit, Spes Patriæ maxima, moxqve sacram,
Quam prior exornat Cathedram, conscendet & al-
ter:

Felix quem referunt ore potente duo!

properab.

M. DANIEL RINGMACHERUS,
Ulmensis.

•••••(•)•••••

W. M. C.

h. 113, 1.

I. N. S. T.

ΑΠΟΣΧΕΔΙΑΣΜΑ

CIZ

Origines & incrementum
præsentem statum

quam

DEO ADIUV

&

Amplissima Philosophia
in hac

ACADEMIA LIPSIENSIS

benevole confer

A. d. XXI. Januar. A. O. R.

Eruditorum publicæ submit

PRAESENT

M. ANDREAS

Scaudicio - Ciz

Horis antemeridianis sine

Cum

RESPONDE

CHRISTIANO PAPEN

S. S. Theol. Stud

LIPSIÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI



2020

NEK

ECANA

